



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 92. Pax a Sanfloriano Cardinale, ac Venetis Albæ Duci proposita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæc. XVI.  
A. C. 1557.

lius timor; quippe Albæ Dux, cum fumum in urbe silentium experiretur, neminemque circa muros versari cerneret, omnes incolas ad defensionem paratos esse, cunctosque in aciem instructos, suaque consilia detecta fuisse existimabat, quapropter pedem referre statuit.

§. XCII.

*Pax a Sanfloriano Cardinale, ac Venetis Albæ Duci proposita.*

*Pallav. n. 4.*  
*Raynald.*  
*n. 13.*

Interea Philippus II. suas in Hispania conditiones possidere percupidus pacem summis votis exoptabat, nec etiam Galliarum Rex, cum Guisii Ducis opera ipsi esset necessaria, Papam cum Hispaniarum Rege sub honestis conditionibus reconciliari, ægre ferebat; quapropter Sanflorianus Cardinalis de tam propenso utriusque Principis animo lætus suum a secretis Ministrum nomine Alexandrum Placidum hac de re ad Albæ Ducem ablegabat, rogans, ut cum Pontifice pacem sub iisdem conditionibus Mense Septembri propositis iniret. Verum Dux prospero armorum successu inflatus, hanc propositionem arrogantius rejiciebat, de ipso Cardinale questus, quod aliunde Philippi Regis amicitia honoratus, tam perversum ei consilium

pro-

proponeret, quin imo Dux palam testatur, quod nulli unquam foederi consensurus esset, nisi Pontifex errore cognito sese foedus cum Regis Catholici hostibus perperam pepigisse, ac contra justitiæ leges hujus Principis subditos divexasse fateretur, eisque prius illorum bona, libertatemque redderet. Verum Summus Pontifex palam profitebatur, quod potius mortem subire paratus esset, quam indigno ejusmodi modo Sedis Apostolicæ honorem lædere vellet, quapropter totum negotium Venetis reliquit, ac Trivultium Cardinalem ad eos rogatum misit, quatenus ipsi sua auctoritate honestam pacem impetrare satagerent. Hoc negotium Veneti animo prorsus lubenti in se susceperunt, & mox Franciscum Trumentum, qui Reipublicæ a secretis erat, ad Albæ Ducem ablegarunt, ut ejus opera Dux ad pacem inclinaretur.

## §. XCIII.

*Pacis colloquia inter Albæ Ducem, & quosdam Cardinales.*

Quamvis Albæ Dux nullo pacto ad pacem flecti posse crederetur, nihilominus aliorum, qui operam suam hac in re locabant, studio eo inducebatur, ut cum Caraffa, necnon cum Sanfloriano, & Vitellozzo Cardinalibus colloquium desu-

*Hist. Eccle. Tom. XLII. K k per*

Sæcul. XVI.  
A.C. 155.